



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

feu si aliquibus coniunctim vel diuifim a fede prædicta indultum exiftat, quod interdici, fufpendi vel excommunicari non poffint per literas apoftolicas non facientes plenam & expreffam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Conftantiæ pridie Nonas Iulii, anno a natiuitate Domini millefimo quadringentefimo decimoquinto, fede apoftolica vacante, regnorum fereniffimi principis domini Sigifmundi Romanorum & Hungariæ regis, videlicet electionis quinto, coronationis primo, Hungariæ vero vigefimonono.

Finita autem feffione, libri Ioannis Hus fuerunt combufti in platea palatii epifcopalis: videlicet liber de ecclefia, & alia opufcula per eundem compofita, igne fuerunt combufta & in cineres redacta, præfentibus ibidem reuerendifsimis in Chrifto patribus & dominis, domino Ioanne epifcopo Vaurenfi, & Petro Olorenfi, epifcopis, Regone & Rogerio in legibus licentiato, Nicolao de Marienuerder regiæ maieftatis, & Ioanne de Matura de Infula, notariis publicis, clericis Poznaniensis & Tornacenfis diocæfis, teftibus ad præmiſſa vocatis & ſpecialiter rogatis.

SESSIO XVI.

DIE Iouis vndecima menſis Iulii ſupradicti, fuit feffio generalis in maiori ecclefia celebrata Conftantiæ, in qua præfidebat reuerendifsimus pater dominus Ioannes epifcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis. Et fuit cantatum officium Miſſæ de Spiritu ſancto per reuerendû patrem dominum Nicolaum epifcopum Merfburgenſem. Quo completo, legebantur litanix, &c. more aliarum feffionum: & dominus Andreas electus Poznaniensis legebat certa capitula & ordinationes ſer-

DIE Iouis vndecima menſis Iulii prædicti, fuit feffio generalis, in qua præfidebat reuerendifsimus pater dominus Ioannes epifcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, tamquam antiquior cardinalis; præfentibus ibidem reuerendifsimis patribus, Angelo Laudenſi, Iordano de Verſinis, Ioanne Ragufinenſi, Antonio Aquileienſi, Thoma Tricaricenſi, Branda Placentino, Franciſco Venetiarum, Petro Cameracenſi, Antonio de Salancho, Alamanno Piſano, præſbyteris, Landulpho Barenſi, Ludouico de Flifco, Odone de Columna, Lucido de uandas,

ANNO
CHRISTI
1415.

uandas, tenoris subseque-
tis. Comite, Amadeo Salutarum,
Raynaldo de Branckasis, &
Francisco Florentino, diaconis cardinalibus. Et fuit cantatum offi-
cium Missæ de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum
Nicolaum episcopum Mersburgensem. Quo cantato, fuit factum
& peractum officium litaniarum cum introitu solito, videlicet,
Exaudi nos Domine, collectis & orationibus ad hoc requisitis, ac
euangelio, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem,
&c. & hymno, Veni creator Spiritus, collectis, versiculo, & Be-
nedicamus. Quibus habitis atque peractis, ascenderunt ambonem,
in quo edicta, siue proposita & proponenda solent legi, reuerendi
patres dominus Andreas electus Poznaniensis, Antonius Concor-
diensis, Nicolaus Mersburgensis, Vitalis Tolonensis, Patricius Cor-
tagensis, episcopi, tamquam deputati per quatuor nationes ad le-
gendum, approbandum, &c. illa quæ Synodus deliberauerit.

Idem dominus Andreas electus Poznaniensis legebat certa ca-
pitula, ordinationes & constitutionem seruandas de cetero, huius-
modi sub tenore.

Deputatio ambasciatorum sacri Concilii ad Aragoniam.

Sacro sancta Constantiensis Synodus generale Conci-
lium faciens, in Spiritu sancto legitime congregata, secun-
dum mentem & effectum ordinationis seu decreti in vl-
tima sessione facti seu lecti, ad requirendum dominum Pe-
trum de Luna, Benedictum decimum tertium in sua obe-
dientia nominatum, & alia faciendum quæ fuerint necessa-
ria & opportuna, facit, constituit & ordinat procuratores
generales & speciales, videlicet reuerendissimos in Chri-
sto patres dominos, Iacobum Turonensem archiepisco-
pum, Petrum Ripensem, Iacobum Adriensem, Ioan-
nem Gebennensem, episcopos, Ioannem abbatem sancti
Eligii * Nouimensem, Conradum de Sufato, sacre theolo-
giae magistros, Ioannem de * Opzis sacri palatii apostolici
auditorum, Petrum Paulum de Iustinopoli vtriusque iu-
ris doctorem, Lampertum de stipite priorem prioratus
conuentualis de Bortua Leodiensis diocesis, Ioannem
Vuellis, Hugonem * Holbbabe, Bernardum de Planta de-
cretorum, & Ioannem de Fabrica legum doctores, præ-
sentes & acceptantes; & Benedictum Gentiani vniuersi-
tatis Parisiensis sacre theologiae professorem, absentem

Concil. Tom. 29.

Kkk

* Noui-
men.

* Opzis

* Holba-
li.

tamquam præsentem : ita tamen quod ipsi omnes , aut ipforum quatuor , vna tamen cum consensu serenissimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ regis , si præsens fuerit , aliis non volentibus aut volentibus , cum ipso domino Benedicto decimotertio in sua obedientia nominato , aut aliis ab eo super hoc sufficientem potestatem habentibus , tractare & concludere , ac ipforum quilibet in solidum , ipsum dominum Petrum Benedictum nominatum (vt præfertur) requirere , & alia coniunctim vel diuifim facere possint , sic & prout in instrumentis publicis super hoc fiendis vel conficiendis , eisque tradendis , plenius videbitur contineri .

Quibus lectis , idem dominus Andreas electus Poznaniensis legebat certas minutas super requisitione Petri de Luna fienda , quarum tenores similiter sunt inferius inserti , & quas in continenti ibidem tradidit ad ingrossandum notariis atque scribis propter expeditionem celeriozem . Quibus lectis , iuxta morem alias obseruatum super approbatione illorum quæ ibi decernuntur & statuuntur , reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis nomine nationis Italicæ respondit , Placet . Subsequenter dominus Vitalis episcopus Tolonensis pro Gallicana natione , Nicolaus episcopus Mersburgensis pro natione Germaniæ , & Patricius Cortagensis pro natione Anglicana , responderunt , Placet . Similiter dominus Ioannes episcopus Ostiensis præsidens nomine collegii cardinalium respondit , Placet .

Deinde magister Henricus de Piro procurator exposuit , qualiter fuissent alias productæ bullæ pro parte domini Angeli de Corario tunc Gregorii duodecimi in sua obedientia nominati , videlicet constitutiones ad renuntiandum & resignandum papatui suo ; nec non auctorizationis Concilii præsentis : quibus necessario serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ , &c. rex vna cum aliis supradiçtis procuratoribus per Concilium deputatis , ad Petrum de Luna ituris , uti haberent . Sed quia pericula cuncta euitari debent , quæ euitari possunt : ne ergo propter dictarum bullarum captionem , destructionem , aut alias malam custodiam , ipsi Synodo Constantiensi periculum siue damnum generari posset , idcirco dictas bullas transumi mandari per protonotarios , siue alios notarios Concilii per dictum Concilium , eisque Concilii Constantiensis auctoritatem & decretum interponi taliter , quod hic & alibi ipsi transumpto merito fides plenaria adhiberi possit .

ANNO
CHRISTI
1415.

Et nihilo minus repetit is in valuis ecclesie executi, accusans contumaciam omnium illorum quorum interest, non comparentium, neque ipsas bullas transsumi mandare videntium, ac interponi auctoritatem Synodi supradictae curantium: & in eorum contumaciam dictas bullas transsumi per dictam Synodum instanter postulauit, & super hoc responderi per deputatos praedictos nomine nationum quatuor, ac praesidentem, Placet.

Quibus sic propositis, domini deputati, videlicet Antonius Concordiensis pro natione Italica, Vitalis Tolonensis pro natione Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro natione Germanica, & Patricius Cortagensis pro natione Anglicana, & Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis pro collegio cardinalium, responderunt, Placet.

Subsequenter magister Henricus de Piro promotor, nomine quo supra, petiit per eandem Synodum declarari & decerni instrumenta depositionis papatus, renuntiationis & approbationis factarum per Baltassarem de Cossa in Cellis, & alia instrumenta ibidem per eum & nomine eius confecta, registranda & inserenda locis congruis, praesentis causae registro, ita taliter, quod auctoritate ipsius Synodi ipsis instrumentis & aliis actis & habitis in Concilio Constantiensi & in sessionibus publicis, plenaria adhibeatur fides: & cetera alia petiit, prout inferius plenius continetur. Ad quae responderunt ipsi domini praelati deputati & praesidens, Placet.

Quibus responsionibus factis & habitis, reuerendus pater dominus Andreas electus Poznaniensis, auctoritate & mandato ipsius sacrosanctae Synodi Constantiensis, pronuntiauit & declarauit quaedam capitula siue ordinationes in futurum seruandas huiusmodi sub tenore.

Item eadem sancta Synodus ordinat, iubet & decernit, instrumenta in ratificatione sententiae depositionis per hoc sacrum Concilium nuper latae contra dominum Baltassarem de Cossa, olim papam vigesimumtertium, nec non renuntiationis per eum factae de papatu, seu iure quod in eo poterat praetendere, apud acta ipsius Concilii in loco suo congruo registrari seu inseri.

Item ordinat & decernit, bullas & instrumenta olim domini Gregorii papae duodecimi in sua obedientia nuncupati, nuper in sessione papatus per eum, seu eius nomine facta in dicto sacro Concilio producta, in formam publicam transsumi, seu de ipsis transsumpta publica fieri per protonotarios & notarios huius sacri Concilii. Quibus transsumptis decernit fidem plenariam adhiberi, tamquam ipsis originalibus auctoritate ipsius Concilii.

Concil. Tom. 29.

Kkk ij

*Datur iudicibus potestas citandi sub pœna priuationis illos,
qui clandestine recesserunt a Concilio.*

ANNO
CHRISTI
1415.

Item eadem sancta Synodus reuerendis in Christo patribus, Saresbiriensi, Plocensi, Vaurenfi & Pistoriensi episcopis, alias pro audiendis causis ad præfens sacrum Concilium deuolutis & deuoluendis, seu alias spectantibus, per idem Concilium deputatis, citandi etiam sub pœna priuationis per edictum in curia exequendum sufficienti informatione præuia, omnes & singulos prælatos & curiæ officiales, aliosque ad ipsum Concilium vocatos, qui ab hoc sacrosancto Concilio clandestine, seu sine licentia recesserunt, vt infra certum competentem terminum eis assignandum personaliter reuertantur & red-eant, plenam tribuit potestatem.

Quod literæ de iustitia expediantur.

Item eadem sancta Synodus ordinat, vt literæ de iustitia, alias in curia expediri solitæ, dummodo prius secundum antiquam curiæ consuetudinem debitum cursum suum faciant, sub ipsius sanctæ Synodi nomine & sigillo per reuerendissimum patrem & dominum Ioannem episcopum Ostiensem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem & vicecancellarium expediantur.

Quod præfidentes habeant potestatem dandi licentiam recedentibus.

Item eadem sancta Synodus quatuor præfidentibus nationum, vt ipsi omnes, aut eorum tres, singulis ad præfens Concilium vocatis, seu vocem habentibus, & ab eodem recedere cupientibus (vbi rationabilis causa fuerit) licentiam recedendi dare possint, plenam tribuit facultatem.

Mandatur domino camerario, quod cardinalibus, ceterisque indigentibus debeat de bonis camerae prouidere.

Item præcipit & mandat domino camerario sanctæ sedis apostolicæ, aut eius locum tenenti, seu vicecamerario, vt dominis cardinalibus & prælatibus, ceterisque indigentibus in hoc sacro Concilio existentibus, de necessariis & vtilibus debeat subuenire, & de bonis camerae prouidere.

ANNO
CHRISTI
1415.

Quibus ordinationibus lectis & pronuntiatis ad requisitionem ipsius magistri Henrici de Piro promotoris, totiusque Synodi, ipsi domini deputati successiue vnus post alium, & demum dominus Ioannes episcopus Ostiensis nomine cardinalium, responderunt, Placet.

Subsequenter magister Henricus de Piro promotor, nomine quo supra, exposuit, qualiter ex plurium fide dignorum relatione, etiam hoc fama publica deferente, quod quidam Carolus de Dueil dominus loci de Remouilla, & Henricus de Turre, cum plurium armatorum comitiua, non tamquam nobiles, sed more prædonum & turbatorum, dominos Carcaffonensem & Ebroicensem episcopos, ac magistros Vuilhelmum de Meda decanum Siluanectensem, domini regis Francorum consiliarios, nec non Benedictum Gentiani in theologia, & Iacobum de Spais in artibus & medicina, magistros, per vniuersitatem Parisiensem ad Concilium destinatos, & per serenissimum principem Romanorum regem ad dictum dominum Carolum regem Francorum transmissos, inhumaniter in ducatu Barensi inuaserunt, eosque captiuarunt, spoliarunt bonis, rebus, equis, &c. & aliquos de eorum familia interfecerunt, aliquos vero lætali ter vulnerarunt. Quapropter petiit per ipsam Synodum recipere informationem super tali infamia, & contra eos procedere, & procedendum fore, prout iuris ordo & dictamen rationis id requirit atque postulat; & alias petiit, prout in quadam minuta inferius inserta plenius continetur. Et si placet Synodo, quod deputati respondeant, Placet.

Qua expositione querulosa (ut præmittitur) facta, domini deputati quatuor nationū, vnus post alium, & subsequenter dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis, nomine collegii cardinalium responderunt, Placet: & decreuerunt processus contra eosdem & alios impeditores venientes & euntes ad Concilium, & de Concilio recedentes, ut sequitur in minuta, quam dominus Bertholdus de Vuildungen adiutor legebat, prout sequitur inferius. Super quibus idem magister Henricus de Piro promotor nomine procuratorio quo supra, petiit sibi per protonotarios ac notarios Concilii, aliosque notarios & tabelliones ibidem existentes, vnum vel plura fieri instrumentum seu instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem reuerendis patribus dominis, Iacobo electo Penensi, Ioanne de Thoriariis de Bononia, auditoribus, ambasciatoribus ducis Burgundiæ, regis Daciæ, Sueciæ & Noruegiæ, omnibusque dictam sanctam Synodum Constantiensem representanti-

*bus, nobilibusque * infinitis in multitudine copiosa.*

ANNO
CHRISTI
1415.
fol.º alia

Tenor vero dictarum literarum decretarum contra ipsos Carolum de Dueil, & Henricum de Turre, de quibus supra fit mentio, sequitur in hunc modum.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens, ac uniuersalem ecclesiam catholicam representans, in Spiritu sancto legitime congregata, venerabilibus episcopis Parisiensi, Metensi, Tullensi, Leonensi, ac eorum vicariis, salutem in Domino sempiternam.

Nuper siquidem processus nostros contra quoscumque molestatores, perturbatores & iniuriatores quarumcumque personarum ecclesiasticarum & secularium, ad Romanam curiam & præsens Concilium, nec non quæcumque alia Concilia generalia venientium, stantium in ipsis, aut recedentiũ ab eisdem, in publica dicti sacri Concilii sessione fecimus & publicauimus, cuius tenorem causa breuitatis hic volumus pro inserto haberi. Cum autem ex plurium fide dignorum relatione, etiam fama publica referente, ad nostri notitiam perueniret, quod nobiles viri Carolus de Dueil dominus loci de Ramouilla, & Henricus de Turre, cum plurium armatorum comitiua, non insequentes facta nobilium, sed suæ salutis immemores, tamquam iniquitatis filii, fideique catholicæ ac præsentis sacri Concilii turbatores, Christianorum inimici, prædonum & tyrannorum more venerabiles Carcassonensem & Ebroicensem episcopos, ac magistros Vuilhelmum de Meda decanum Siluanectensem, serenissimi ac Christianissimi principis Caroli regis Francorum consiliarios, per ipsum; nec non Benedictum Gentiani in theologia, & Iacobum de Spais in artibus & medicina, magistros, per uniuersitatem Parisiensem ad præsens Concilium destinatos: & qui per idem Concilium, nec non serenissimum & illustrissimum principem Sigismundum Romanorum & Hungariæ, & c. regem semper Augustum, huius sacri Concilii aduocatam, protectorem & defensorem, ad dominum Francorum regem pro bono uniuersalis ecclesiæ dictique sacri Concilii, ac honore & utilitate ipsius Francorum regis, mittebantur cum sua familia & aliis de huiusmodi sacro Concilio & Romana curia redeuntibus, alias ignominiose ac tyrannice in terris Romano imperio subiectis, uno ex capellanis perempto, & duobus ex scutiferis episcopi Carcassonensis prædicti lethallyter vulneratis, crudeliter & sacrilege ceperunt, & nonnullis ex dicta familia & aliis per eosdem nobiles & prædones, equis &

ANNO
CHRISTI
1415.

* St. 77

bonis deprædatis, & per viam afflictis, & grauiter iniuriatis dimissis, præfatos episcopos, nuntios & alios, nec pontificali dignitati, nec clericali ordini deferendo, ad castrum de * Satyn in ducatu Barenfi captiuos inhumaniter duxerunt, eorum bona inter eos ut prædam diuidendo. Et quod postmodum dictus Carolus præfatos episcopos & aliquos ex notabilioribus captiuis prædictis, volens ipsos ducere longius & transferre, pænis affligere acrioribus & tormentis, a dicto castro, reliquis captiuis ibi remanentibus, extraxit tempore nocturno, ipsosque per nemora & stagna, flumina pariter & deuia inhumaniter longe perduxit a castro memorato. Quibus ad illustrii principum, videlicet Barenfis primo, & deinde Lotharingæ, ducum notitiam deductis, ipse videlicet Barenfis illos qui in dicto castro captiuo remanserant, eodem castro vi armorum capto, & Lotharingæ duces, episcopos & alios, quos secum duxerat Carolus prædictus, armorum potentia, eis ad id communitatibus Metensi, Tullensi & Virdunensi ciuitatum præbentibus auxilium, consiliū & fauorem, restituerunt libertati, & per suas terras libere conduci fecerunt, eis equos, munera & victualia gratiose concedendo. Nos e. c. præfatos duces & communitates de tantis per eos ipsis episcopis, nuntiis & aliis memoratis, ob sacri Concilii, vniuersalisque ecclesie ac regum prædictorum fauorem, gratis impensis, in Domino collaudantes, nolentesque, sicut nec decet, nec expedit, dictos sacrilegos & quoscumque alios super huiusmodi horrendis & detestandis excessibus, & eis præstantes auxilium, consilium vel fauorem, absque animaduersione relinquere incorrectos, circumspeditioni vestre auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen, committimus, & sub excommunicationis pæna, quam quemlibet vestrum, qui præsentibus nostris mandatis non paruerit, legitima excusatione cessante, & monitione præmissa, incurrere volumus ipso facto, præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate præsentis Concilii, de omnibus & singulis præmissis excessibus & ea contingentibus simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicii, sollicita & fideli diligentia adhibita, tam in vestris ciuitatibus & diocesisibus, quam in locis aliis, quibus expedire videritis, vos informetis, & prædictos nobiles, & omnes alios & singulos clericos, laicos, cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis fuerint, etiamsi regali, pontificali, vel alia quauis præfulgeant dignitate: quos per informationem reperiretis commisisse & committi fecisse, vel mandasse prædictos excessus, aut in eis committendis præstitisse

auxilium, consilium vel fauorem, seu eos gratos & ratos habuisse, vel ipsorum excessuum patratores receptasse nominatim, nec non illos de quibus vobis per informationem huiusmodi nominatim constiterit, qui quomodolibet culpabiles fuerint in præmissis iuxta generaliter formam ac tenorem processuum prædictorum, quos pro expressis hic volumus haberi, tamdiu excommunicatos & anathematizatos diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, & ad terram proiectis, in eisdem ecclesiis atque locis, cum maior in eis cleri & populi fuerit multitudo, publice nuntietis, & faciatis ab aliis publice nuntiari, & ab omnibus arctius euitari, dictumque interdictum in ecclesiis, & aliis vbilibet iuxta tenorem processuum prædictorum obseruari, donec nobis, præfatoque serenissimo principi Romanorum regi, & prædictis episcopis & nuntiis, ac aliis de sic eis commissis iniuriis ac damnis & interesse satisfecerint, & ablata seu de prædata ab ipsis restituerint, aut super iis cum eis concordauerint, & alias meruerint ab huiusmodi excommunicationis & anathematizationis sententiis absolutionis beneficium obtinere, dictumque interdictum debuerit merito relaxari: ita tamen quod id quod fuerit per unum ex vobis inceptum, per alium seu alios valeat mediari & finiri. Quod si forte præfati nobiles & prædones de iniuriis, damnis & interesse prædictis, eisdem episcopis, nuntiis & aliis, aut alicui eorumdem satisfacere, & ablata eis restituere, seu super hoc cum ipsis concordare per mensem post monitionem eis, vel in locis insignibus per edicta publica super hoc factam, distulerint, eos ad satisfaciendum de iniuriis, damnis & interesse huiusmodi, & eadem ablata restituendum, seu super ipsis concordandum, ut præfertur, auctoritate prædicta præuia ratione compellatis, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Et nihilo minus ad prædictorum nostrorum processuum executionem contra quoscumque ipsorum transgressores & contemptores procedatis in omnibus & per omnia iuxta ipsorum seriem & tenorem, contradictores per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, auctoritate prædicta compescendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papæ octauæ constitutionibus, in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem & diæcesim, nisi in certis exceptis casibus, ultra vnā diætam a fine suæ diæcesis ad iudicium euocetur. Sed quod iudices a sede deputati prædicta, extra ciuitatem & diæcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquem ultra vnā diætam a fine diæcesis eorumdem trahere non præsumant,

ANNO
CHRISTI
1445.

*ment, & de duabus dietis in Concilio generali, quam alii quibus-
cumque constitutionibus a Romanis pontificibus, tam de iudicibus
delegatis, quam de personis ultra certum numerum ad iudicium
non vocandis, & aliis editis, quæ nostræ possent in hac parte iu-
risdictioni atque potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet ob-
uiare, nec non omnibus his quæ in dictis nostris processibus volumus
non obstare. Datum, &c.*

Quibus lectis, domini deputati, & demum dominus Io-
annes episcopus Ostiensis præsidens, responderunt, Placet.

*Mandat Concilium registrarari instrumenta de ratificatione sententiæ
contra Ioannem papam X X I I I.*

Item eadem sancta Synodus ordinat, iubet & decernit
instrumenta in ratificationibus sententiæ depositionis
per hoc sacrum Concilium nuper lata contra domi-
num Baltassarem de Cossa, olim Ioannem papam vi-
gesimumtertium, nec non renuntiationis per eum factæ
de papatu, seu de iure quod poterat in eo prætere, apud acta ipsius Concilii in loco suo congruo registrarari
& inferi.

Mandat transsumi literas de cessione Gregorii X I I.

Item mandat & decernit, bullas & instrumenta olim
domini Gregorii papæ duodecimi in sua obedientia nun-
cupati, nuper in cessione papatus per eum seu eius nomi-
ne facta, in dicto sacro Concilio producta, in formam pu-
blicam transsumi, seu de ipsis transsumpta publica fieri per
protonotarios & notarios huius sacri Concilii: quibus
transsumptis decernit fidem indubiam adhiberi tamquam
originalibus ipsis, auctoritate ipsius Concilii. Super qui-
bus pronuntiationibus & responsionibus prædictis ma-
gister Henricus de Piro promotor & procurator, nomine
quo supra, petiit sibi fieri publicum & publica, instrumen-
tum & instrumenta, præsentibus dictis dominis, &c. te-
stibus, &c. Deputati vero quatuor nationum, earum, &
dictus dominus Ostiensis collegii cardinalium, nominibus
approbando, responderunt: Placet.